6

Q. F. F. Q. S.

INAUGURALITER

Theses quasdam breves

sed tamen perspicuas

DE

VOMITU,

Ex Gratioso Permissu

INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ

Pro summis in Arte Medica

PRIVILEGIIS & HONORIBUS

DOCTORALIBUS

ritè obtinendis

Placidæ Philiatrorum Censuræ

submittit

JOHANNES BOECLERUS

Argent.

Die 14. *M. Octobr. horis locoq; consuetis.*



ARGENTORATI,

Typis JOH. FRIDERICI SPOOR.

ANNO M DC LXXIII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Benivole Lector!



Onstitueram equidem paulò fusius præsentem pertractare materiam, utpote quæ penitius quodammodo per omnes suas causas perpendi certè est dignissima; Verùm en! ex improviso commodissima propositum itineris cursum ingrediendi se offert occasio, quæ qualemcunque etiam moram penitus respuit, ita ut pauca quoque, quæ hìc vides, vix mihi colligere licuerit; Ne mireris igitur, minus ἀκριβῶς quam par alias fuisset, conscriptam esse hanc dissertationem. Forsan, annuente Gratia Divina, suo tempore plura sequentur. Nunc ad propositam de VOMITU materiam me converto, cuius naturam & essentiam, licet brevius, perspicuè tamen & clarè proponere conabor.

THESIS I.

V*Omitus, Vomitio, rejectio per os*, Græcis ἀπὸ τοῦ ἐμέειν, nuncupatur ἔμετος: hinc quæ ciere illum valent remedia vocantur ἐμετικὰ, ut *vinum emeticum*, *syrupus emeticus*, *&c.* aliàs vocabulum vomitus impro-propriè pro *materia rejecta* uſurpatur, propriè verò *ipſummet actum denotat ſive ſymptoma*,

II.

Eſt motus depravatus facultatis expultricis ventriculi, quo is ea quæ ſibi moleſta ſunt, atque in ipſo fluitant, ſeſe contrahendo, & verſus orificium ſuperius ſe attollendo, per gulam & os excutit & expellit.

III.

Perſpicias ex his 1. quòd ſit ſymptoma læſæ functionis naturalis; facultatis ſcil. expultricis Ventriculi. 2. Quòd ſit motus tàm naturalis, quàm præternaturalis; Is quidem ratione *cauſæ & efficientis proximæ*, quæ ventris eſt expultrix; & *finalis*, quoniam ad incolumitatem hominis tàm conſervandam quàm reſtituendam excitatur: Hic verò ratione potiſſimum *cauſæ efficientis antecedentis, remotæ & mediatæ*, expultricem ſtomachi ad excretionem irritantis. Excluduntur ergò aliorum de natura hujus motus variæ opiniones. 3. Quod pars affecta totus ſit ventriculus. Compatiuntur etiam aliæ partes, verùm ſecundariò ſolummodo & per accidens.

IV.

Propoſita ita & perſpecta Vomitus natura & eſſentia, cauſarum quoque ſcrutinio incumbendum, è quibus præcipuum in omni negotio momentum pendere, & res ipſa teſtatur, & tot ſapientiſſimorum Philoſophorum effata monent; quas nihilominus pro inſtituti modo ſtrictâ oratione perſequar.

V.

Concitatur ergò à cauſis *vel exceſſiva ſuâ quantitate* gravantibus, prementibus, vel *pravâ qualitate*, eaque tàm manifeſta, quàm

quàm occulta, rodentibus, irritantibus, lubrificantibus & alterantibus, vel denique alio quovis modo ſtimulantibus. Hæ autem in univerſum vel externæ ſunt vel internæ.

VI.

Externæ rurſus vel *neceſſariò nos alterant, vel ex accidenti ſolummodo corpora noſtra immutant.* Ex illis primas tenet *aër*, qui vomitus cauſa eſt, quatenus vel humores agitat, fundit, & vapores exſuſcitat, vel malignâ & peſtilentiali qualitate corruptus peculiariter ventriculo infeſtus eſt, eundemque continuò ſtimulat & irritat: hinc, qui peſte laborant, ſæpiſſimè violento ejusmodi vomitu tentantur.

VII.

Alimenta in nimia quantitate aſſumpta, ita gravant ventriculum, ut neque arctius complecti, neque ritè concoquere illa valeat; Igitur à natura ejus rejiciuntur, ut liberetur à ſarcina hâcce valdè moleſtâ: id videmus in infantulis, qui lacticinia immoderatiùs ingeſta crebrius removere conſueverunt: Si liquida multa, oleoſa, pinguia & medulloſa aſſumantur, diſſolvitur tonus ſtomachi, & lubrificatur ejus os ſuperius, inprimis verò ſi poſt adſtringentium uſum illis utaris. Inſueta quoque & à quibus homo naturaliter abhorret, ſingulariter movere valent vomitum.

VIII.

Eisdem modis *vitioſus potuum uſus* vomitus author eſſe ſolet: & certè frequentiſſimam inter externas cauſam eſſe crediderim nimiam vini ingurgitationem; hodie enim quisque ſibi gloriæ ducit & honori, litare Baccho ſtrenuè, & certare poſſe poculis. Verùm quàm ſera apud plerosque ſequatur pœnitentia, illud plerisque notum eſt.

IX.

Si *immoderatius* corpora, præſertim quæ impura ſunt, aut *intempeſtivè*, ſtatim poſt aſſumptos cibos, *moveantur*, turbantur in illis omnia, recluſoque ſuperiori ventris orificio, excernuntur quæ ad illum confluxere, aut, ut concoquerentur, in eodem

erant recondita. Quare, vectiones in curru, equitationes succussorias, & alia ejusmodi duriora exercitia prædictis in casibus fugienda esse censeo.

X.

Verùm minus aptè hinc colligitur, ergò & *Nautiæ* causam motum esse oportuerit; Non enim hunc sufficientem esse, sed tetros potius halitus & vapores molestum hocce symptoma excitare posse, ex probabili ratiocinio colligitur. Concurrere autem eundem, ut *Causam adjuvantem*, prorsus non negaverim.

XI.

Quibus, quæ aliàs natura vacuare consueverat, aut naturaliter aut præter naturam supprimuntur, crebrius nonnunquam vomere coguntur; ventriculo nimirum eorundem aut à materia suppressa, aut ab halitibus ex illa suscitatis irritato.

XII.

Sed & si *nimiæ evacuationes* accidant, ventriculi retentrix valdè debilitatur.

XIII.

In quantum denique *animi pathemata* corpora nostra alterare valeant & immutare, illud vel ex sola imaginationis vi satis superque innotescit; hæc enim, uti in totum corpus magna est, ita in ventriculum quoque claves gerit, eundemque sæpius inopinato, sola forti rei ingratæ impressione recludit, & ad vomendum stimulat.

XIV.

Agmen externarum claudunt, quæ non necessariò nos alterant: Illæ vel *venena* sunt, peculiariter ventriculo infesta; vel *pharmaca purgantia*, ut sunt Helleborus albus, Antimonium, Gutta Gamandræ; barborum item, & luciorum ova, nux vomica, & rasura unguium, quorum probabilis ratio nulla dari potest; vel *alia*, quæcunque expultricem stomachi quocunq; modo irritare possunt.

XV.

Jam justo ordine progredior ad *internas causas*, quarum alia *proxima est, ultima & immediata*; alia verò *remota, antecedens & mediata*: de ista, quod in ea sola animus sciendi cupidus acquiescat, primum dicendum.

XVI.

Statuitur verò communi omnium Medicorum consensu *facultas expultrix vehementius irritata quam in Nausea.*

XVII.

Remotæ insequuntur & mediatæ, quæ vel *morbi* sunt, iique tam *ipsius ventriculi*; intemperies nimirum ejusdem, inprimis frigida & humida, vitiosa conformatio & nimia angustia, vulnera, ulcera, tubercula & calli; quam *partium aliarum eundem in consensum trahentium*, quales sunt, vulnera cerebri, juxta *Hippocr. aph.* 50. *s.* 6. Valida viscerum, ut mesenterii, lienis, intestinorum item obstructio, Nephritis, Colica, Ileus, Costarum ad interiora detrusio, & alii, quorum omnium hìc mentionem facere, superfluum planè videtur, cum exquisitissimè illi apud Authores explicentur; Vel sunr *humores varij*, qui *vel in ipso generantur ventriculo, vel aliunde*, ex. gr. ab hepate, liene, utero, capite, & inprimis ex mesenterio, quod veluti totius corporis est sentina, *ad ipsum confluunt*; vel sunt *vapores*, quales in gravidis præcipuè primis gestationis mensibus elevantur. Huc referenda quoque *sanies*, *pus*, *vermes & alia*, quæ omnia explicatis in Th. 5. modis vomitum exsuscitant.

XVIII.

Nunc aliquid laboris impendendum quoque *signis*, è quorum numero *quæ sunt* διαγνωστικὰ *sive* δηλωτικὰ, dum præsens est vomitus, hîc tradere nec decet, nec fas est: Manifestum enim est symptoma, quod vel oculis cernas, licet.

XIX.

Sed *imminere vomitum*, ex signis antecedentibus intelligimus, quæ in procinctu esse ventriculum, ut ejiciat quod sibi

molestum

moleſtum eſt, & adverſus hoſtem ſuum inſurgat, declarant, & plerumque læſæ facultatis animalis ſymptomatum numero comprehenduntur; quæ ſpeciatim examinanda ſunt.

XX.

Primum adeſt *Capitis dolor per conſenſum ventriculi exortus*: hunc enim plerumque vomitus ſequi ſolet, ſatis nonnunquam frequens & copioſus: cujus quidem ſigni ratio è vomendi apparatu facilè conſtat, & ex mutua utriusque partis affectæ per nervos à ſexto pari propagatos ſympathiâ, inde & ex ſitu earundem explicanda eſt.

XXI.

Certiùs tamen, eundem imminere, ſignum aliud ex eodem fonte manans, *tenebræ* nimirum *ante oculos apparentes*, declarant, quæ à turbulento ſpirituum motu & vaporibus nervos viſorios opplentibus exoriuntur.

XXII.

Hinc in antecedentium ſignorum cenſum venit *rigor*, qui, partim quod calore è circumferentia ad interiora revocato partes extremæ refrigerentur, partim quod vapores è vitioſorum humorum apparatu undique ſeſe per minima diffundentes partes corporis ſenſiles vellicent, enaſcitur.

XXIII.

Labij inferioris tremor & *agitatio* vel maximè etiam nominanda, quæ humori vitioſo & abominabili per communem ventriculo & ori tunicam recepto originem debet; inde & alia deducenda, quæ tamen brevitatis ſtudio prætermitto. Hoc ſolum addo, *majori fiduciâ & certitudine poſſe prædici vomitum ex ſignis omnibus aut plerisq; conjunctis quàm ſingulis.*

XXIV.

Idiopatheticum eſſe vomitum conjicies, ſi is duret continuò, ſin minus, *ſympatheticum*.

XXV. Signa

XXV.

Signa quoque caufarum fingula è fuis locis petenda.

XXVI.

Quæ verò figna prognoftica in *vomitu critico* occurrunt, hîc explicare ab inftituto alienum eft; At quis eventus fit in *Symptomatico* expectandus, partim ex generali morborum & fymptomatum conditione, partim verò ex caufarum varietate & natura rectius quàm regulis fpecialibus cognofcitur.

XXVII.

Solum ea dabo, quæ hinc inde *Hippocrates* monet in *prænot. Coacis*, & *Aphorifmis*: nimirum 1.*ratione materiæ*, eum multum habere utilitatis, qui pituitam exhibet accuratè mixtam cum bile, *Coac.* 3. *&* *f*. 7. *aph.* 28. 2. *Ratione quantitatis*: exiguos vomitus malè habere ægrotos, idque cùm aliàs, tùm fi vigilias agitaverint. *ibid.* 3. *Ratione qualitatis*, ea quæ vomuntur meraciora, pejora effe: porro, bilem impermiftam, porraceam, nigram aut lividam, maximè quæ omnium colorum eft, materiam valde peftiferam. *ibid.* Atram bilem in principio morborum acutorum fupernè exeuntem lethale effe, *f*. 4. *aph.* 22. 4. *Ratione fymptomatum conjunctorum & fubfequentium*, in vomitu fitibundum fitis expertem fieri malum. 3. *Coac. prænot.* In meris vomitibus fingultum & convulfionem malum.

XXVIII.

Differentiæ à variis rebus defumi poffunt: Etenim ratione *caufæ concitantis* alius artis ope, alius naturæ perficitur opera: hic, vel *morbofus* eft, vel *à caufis maximè externis inductus*: aliàs idem vel *criticus*, qui fit ἐν καιρῷ, h.e. jufto & opportuno tempore, prægreffis fignis concoctionis & fubfequente εὐφορίᾳ five bona tolerantia; vel *fymptomaticus*, qui aut materia morbifica nec dum concocta, neque ab utili humorum maffa fequeftrata, aut ab alia caufa, naturam nimium vel debilitante, vel vehementius irritante exoritur.

XXIX.

Ratione *Causæ materialis* alii *bilem* evomunt, ut illi, quibus porus cholidochus p. n. in fundum ventriculi est insertus, & quotidie, matutino præsertim tempore bilem per superiora excernere coguntur; alii *pituitam*: hi *melancholicos*, illi *sanguineos* reddunt humores, imò *vermes, sordes, purulentasq; & alias* excernunt *materias*. Sed & interdum monstrosi fiunt vomitus, ita ut *creta, gypsum, crines, lapides, pix, aliave multa* mirabiliter excernantur: nonnunquam & *clysteres* & *suppositoria, ut glandes, balani* sursum repunt, sicuti hoc in horrendo isto Iliaco affectu accidere consuevit.

XXX.

Dantur & aliæ omninò differentiæ, ut *alius sit sympatheticus, alius idiopatheticus, alius intensior, alius remissior; hic brevius duret, ille diutius.* quas tamen, cum abunde apud Auctores explicentur, solum indicâsse sat fuerit. Qui plura desiderat, adeat *Sennertum, Jonston. Pison. Mœb. Rolfincium & alios.*

XXXI.

In curatione *morbosæ & symptomaticæ vomitionis* ad causam præcipuè obvertendum est; ea etenim si auferatur, ipsum quoque evanescet symptoma. Igitur partium intemperies alterandæ, vulnera consolidanda, humores vitiosi evacuandi sunt & educendi.

XXXII.

Sed & interdum *ipsi symptomati* occurrendum, quatenus nimirum vehementer urget, & induit naturam causæ morbificæ, inprimis vires nimiopere prosternentis. Adhibeas igitur *revellentia, adstringentia & roborantia*, extrema verò urgente necessitate *narcotica*.

XXXIII.

Revellimus per clysteres acriores, ligaturas & frictiones inferiorum partium dolorificas; clyster talis adhiberi posset:

℞. Decoct. Commun. pro Clyster. ℥j.
Hier. pier. Galen.
Electuar. diaphœn. ana ℥j.
Ol. Rutac.
Ungu. Clismat. ana ʒ vj.
Sal. Gemm. ʒj. Misc. pro Enemate.

XXXIV.

Adstringentia pariter ut roborantia tàm internè adhibentur quàm externè, & quidem sub varia forma, ut potionum, bolorum, conservæ, tabularum: parantur item inunctiones, cataplasmata, fomenta & alia, quorum omnium materiam abunde reperies *in Speculo Med. Pract. Illustris Melchior. Sebizij p.1061. & seqq.* Liceat quædam solummodo proponere exempla, quæ finem hujus dissertationis constituant.

℞. Aquar. Menth.
Burs. Pastor.
Folior. Querc. ana ℥ iij.
Syr. Corallin.
Cydonior.
Granator. acidor. ana ℥ i ß.
M. f. potio pro tribus dosibus.

℞. Conserv. Rosar. rubrar. antiq.
Diacidoniat. simpl. ana ʒ ij.
Pulp. Citr. condit.
Nucist. Ind. condit. ana ʒ i ß.
cum
Syrup. Corallin.
de Berber. ana q. s. F. mixt. moll. ad ollul.

℞. Spec.

℞. Specier. Diambr.
Diamoſch. dulc.
Corallior. rubror. præparator. ana ℈j ß.
Nuc. Ind. condit. ʒß.
Sacch. albiſſ. in aq. Plantag.
& Burſ. Paſtor. ana part. æqual. ſolut. ℥j ß.
M. F. Confectio in Rotulis.

XXXV.

Quod ſi narcoticorum & ſtupefacientium uſum extrema neceſſitas requirat, tum *Laudanum opiatum*, vel in forma pilulari, vel in aquis refrigerantibus, addito ſyrupo Papaverino ſolutum, tutiſſimè adhibueris. Communis ejus doſis eſt à gr. iij. ad gr. iv.

XXXVI.

Infinita quidem adhuc alia, quæ ſiſtunt vomitum in Practicorum ſcriptis conſignata ſunt, & inprimis Chymici in cœlum quaſi attollunt ſua experimenta & ſpecifica: verùm quanto generoſiora illa ſunt, tanto quoque periculoſiora eſſe, quotidiana confirmat experientia; quare non facilè iſta & non niſi cum magna cautela adhibenda ſunt.

Coronidis loco ſequentia addere placuit.

1. *Fœtum per vomitum rejectum eſſe, anile potius deliramentum eſt, quam veritati ullo modo conſentaneum.*
2. *Convulſorium eſſe in vomitu ventriculi motum, utut ſeſe contrahat, nulla tamen, ut credam, ratione perſuaderi poſſum.*

FINIS.